

[5] Castra sunt in Italia contra populum Romanum in Etruriae faucibus¹ conlocata, crescit in dies singulos hostium numerus; eorum autem castrorum imperatorem ducemque hostium intra moenia atque adeo² in senatu videtis intestinam aliquam cotidie perniciem rei publicae molientem. Si te iam³, Catilina, comprehendi, si interfici iussero, credo, erit verendum mihi, ne non potius hoc omnes boni serius a me quam quisquam crudelius factum esse⁴ dicat. Verum ego hoc, quod iam pridem factum esse oportuit, certa de causa nondum adducor ut faciam. Tum denique interficiere⁵, cum iam nemo⁶ tam inprobus, tam perditus, tam tui similis inveniri poterit, qui id non iure factum esse fateatur. [6] Quamdiu quisquam erit, qui te defendere audeat, vives, et vives ita, ut nunc vivis, multis meis et firmis praesidiis obsessus, ne commovere te contra rem publicam possis. Multorum te etiam oculi et aures non sentientem, sicut adhuc fecerunt, speculabuntur⁷ atque custodient.

Etenim quid est, Catilina, quod iam amplius expectes, si neque nox tenebris obscurare coetus nefarios nec privata domus parietibus continere voces coniurationis tuae potest, si illustrantur, si erumpunt omnia? Muta iam istam mentem, mihi crede, obliviscere caedis atque incendiorum. Teneris undique; luce sunt claria nobis tua consilia omnia; quae iam⁸ mecum licet recognoscas⁹.

[7] Meministine me ante diem XII Kalendas Novembris¹⁰ dicere in senatu fore in armis certo die, qui dies futurus esset ante diem VI Kal. Novembris¹¹, C. Manlium¹², audaciae satellitem¹³ atque administrum tuae? Num me fefellit, Catilina, non modo res tanta, tam atrox tamque incredibilis, verum, id quod multo magis est admirandum, dies? Dixi ego idem¹⁴ in senatu caedem te optumatum contulisse in ante diem V Kalendas Novembris¹⁵, tum cum multi principes civitatis Roma non tam sui conservandi quam tuorum consiliorum reprimendorum causa profugerunt. Num infitari¹⁶ potes te illo ipso die meis praesidiis, mea diligentia circumclusum commovere te contra rem publicam non potuisse, cum tu discessu ceterorum nostra¹⁷ tamen, qui¹⁷ remansissemus, caede te contentum esse dicebas?

[8] Quid? Cum te Praeneste¹⁸ Kalendis ipsis Novembribus¹⁹ occupaturum nocturno impetu esse confideres, sensistine illam coloniam meo iussu meis praesidiis, custodiis, vigiliis esse munitam? Nihil agis, nihil moliris, nihil

cogitas, quod non ego non modo audiam, sed etiam videam planeque sentiam. Recognosce tandem mecum noctem²⁰ illam superiorem²⁰; iam²¹ intelleges multo me vigilare acrius ad salutem quam te ad perniciem rei publicae. Dico te priore nocte venisse inter falcarios²² – non agam obscure – in M. Laecae²³ domum; convenisse eodem complures eiusdem amentiae scelerisque socios. Num negare audes? Quid taces? Convincam, si negas. Video enim esse hic in senatu quosdam, qui tecum una fuerunt.

Hilfen:

- 1) Bei *Faesulae*, einer kleinen Stadt im nördlichen Etrurien (heute Fiesole), zog der als Feldherr Catilinas agierende Zenturio C. Manlius Truppen zusammen.
- 2) *atque adeo* = und sogar
- 3) *iam* = augenblicklich
- 4) Ordne und ergänze: ne non potius omnes boni (dicant) hoc serius a me (factum esse) quam quisquam dicat (hoc) crudelius (a me) factum esse.
- 5) Kurzform für: “interficieris”
- 6) *iam nemo* = niemand mehr
- 7) *speculari* = beobachten
- 8) *iam*: Siehe Anm. 3.
- 9) *licet* (ut) *recognoscas* = hier: du darfst prüfen
- 10) *ante diem XII Kalendas Novembris* = am 12. Tage vor den Kalenden (= dem ersten Tag) des November, also: am 21. Oktober.
- 11) *ante diem VI Kal. Novembris* = am 6. Tag vor den Kalenden des November, also: am 27. Oktober
- 12) C. Manlius: Zu ihm vgl. Anm. 1.
- 13) *satelles, -itis* (m.) = Gefolgsmann
- 14) *idem* gehört zu *ego*.
- 15) *ante diem V Kalendas Novembris* = am 5. Tage vor den Kalenden des November; also?
- 16) *infitari* = leugnen
- 17) *nostra ... qui*: Das Relativpronomen bezieht sich auf ein in „*nostra caede*“ liegendes und nicht ausgesprochenes „*nobis*“.
- 18) *Praeneste, -is* (n.!) = Praeneste (Name einer Stadt südöstlich von Rom, heute *Palestrina*)
- 19) *Kalendis ipsis Novembribus* = eben an den Kalenden des November; also? (Vgl. Anm. 10)
- 20) *nox superior* = vorletzte Nacht
- 21) *iam*: Vgl. oben Anm. 3.
- 22) *falcarius, -ii* (m.) = Sichelschmied. Der Plural fungiert als Straßennamenname, meint also die Straße der Sichelmacher.
- 23.) *M. Laeca, -ae* (m.) = Marcus (Porcius) Laeca (Name eines Senators und Anhänger Catilinas)